M-IX-24

do

Prześwietnego Konsystorza Jllmo Dyecezyi Kr...

Przełożony Zgromad...
ma honor donieść Prz...
szemi jako w dniu ...
Franciszek Matau...
i oświadczył swe ...
Polskiego Kommis...
Zgromadzenia Na...
Przeto Zgromadz...
upraszka Przeswi...
nij aby łaskawie...
do prozby zadac...

Pmetrizonego

Sie offi

THESES
DE
CATARRHO

Quas
B. C. D.
PRO LOCO ADJUNCTI
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
Publico Eruditorum Examini
ſubmittit

PHILIPPUS JACOBUS
Hartmann.

RESPONDENTE

JOHANNE LANGIO
Meclenburg.

Anno 1684. ~~mens Martio.~~ d. 13. jun.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

J. N. J.

I.

PRopter errores circa res, quarum quoti. die in vita homini est usus, non potest fieri, qvin inter alia ultimum alimentum, sangvis, humido quoque exsuperet.

II. Verum ista exsuperantia humidi, quando corpori sua adhuc constat virtus, plurimis aqvæductibus, quibus extra corpus exoneranda, excipitur.

III. Plurimis opus erat aquæductibus, quod humidi familiaris sit excessus, cum ex humido natura maximè consistat.

IV. Contingit autem exsuperantiam humidi aliam magis, aliam minus esse fluidam.

V. Et cum caput, ob cerebri molem, homini sit frigidissimum, optimâ ratione evenit, ut minus fluidum humidum hic locorum occurrat potissimum.

VI. Quamobrem quoque provida natura certo consilio obviam huic malo ire voluit, nu. merosiores, in oris ambitu, & singulares disponens glandulas, quibus patentiores passim viæ; ut liberior per has, præprimis muco, ex-

eundi concedatur poteſtas : ductus intelligo , quibus ſaliva oris, & mucus narium, ex capite educitur.

VII. Humidum verò fluidius cum per omnes corporis partes redundet, ubique etiam ſuos paratos invenit canales, Lymphaticos quos vocant; His vel extra corpus, ſive per cutaneos poros, ſive etiam per memoratos patentiores capitis , ſive etiam per alios Pancreatis, &c. ductus eliminatur ; vel etiam intra corpus, in uſum ſequiorem, ad receptacula ablegatur.

VIII. Si ſibi relictum fuerit illud humidum, inſipidum erit: ſed ob vitiorum confinia ſæpius contingit , fluidum inprimis, vel ſalſo, vel amaro, vel acido &c. infici.

IX. Utcunque autem ſe habeat humidum, quousque ſe excerni patitur cum euphoria , & viæ deſtinatæ illi abducendo ſufficiunt, ut non in peregrina loca excurſiones faciat, ſecundum naturæ inſtitutum ſe habebit iſta humidi exſuperantia.

X. Verum ubi ægrè ejicitur, aut ſuis amplius contineri nequit limitibus, tunc præter naturæ inſtitutum tale hoc eſſe excrementum, eſt evidens.

XI.

XI. Varias autem cum molestias humidi exsuperantia inducat, quando se commodè excerni non sinit, communissima tamen illa est, quæ catarrhi venit nomine.

XII. Usu enim receptum est, ut ab humido, non item à quovis alio excremento, molestiam vox [Catarrhi] denotet, quamvis non repugnaret abusus, quo minus & alia ægritudo hâc voce designaretur.

XIII. Sed quod maximam molestiam in excernendo ut plurimum pariat illud humidum, quod in capite minus fluidum generari diximus, pituita peculiariter, fit ut Catarrhi nomine potissimum veniat illa molestia, quam in excernendo per os & nares sentimus.

XIV. Etenim homo vitam etiam vivit contemplativam; ad contemplationem autem instituendam crebro sangvis per cerebrum circumagatur oportet; ad reiteratos autem magis sangvinis circuitus plus humidi deponi, plus calidi exhauriri est necesse; quod equidem est in causa, ut homo præ aliis omnibus animalibus molestiam in excernendo humido minus fluido, id est pituita, his in partibus, oris & nasi, experiatur sæpius.

XV. Inprimis qui, præterquam quod ſedentariam vitam degunt, rei inſuper literariæ incumbunt, huic malo ſunt obnoxii.

XVI. Atque pituitæ moleſta excretio potiſſimum, ſibi iſta ſpecialia nomina Catarrhi, branchi, coryzæ vendicat.

XVII, Contingere poteſt, quando craſſior pituita epiglottidem premit aut obſidet, ut ſuffocationis periculum cum catarrho ſit conjunctum.

XVIII. Sed maximè catarrhus eſt ſuffocativus, quando tanta abundantia eſt pituitæ, ut non ſolùm in glanduloſis capitis partibus, ſed etiam in tota maſſa ſangvinea exundet: quando igitur frigus, quod ſangvini tali ineſt, incrementum capit, à frigiditate cerebri, ex tenore circuitûs ſangvinis, rediens ad cor à cerebro pituitoſus ſangvis per jugulares, ubi ex dextro ventriculo ad pulmones fuit adactus, impellente ſubſequente alio neſcit loco cedere, ſed hærens intra ramos arteriæ pulmonalis facit affines aſperæ arteriæ propagines mirè coarctari, corque ob jugiter illabentem alium & hærentem diſtendi, impedito ſyſtoles & diaſtoles reciproco munere, äereque per irruptionem in bronchia excluſo.

XIX.

XIX. Quomodo homo ſive moleſtiâ, ſive periculo catarrhi liberandus, illi, uti nec integræ doctrinæ, haud ſufficiunt hæ pagellæ. Quod Catarrhum ſuffocativum, qui maxime talis eſt (quamvis & hic variet, prouti copia pituitæ aut craſſities major minorve) patet quoad res, quarum quotidie eſt uſus, unicè illud agendum, ut his calor excitetur. Cibo & potu illud fiet ſangvinem generoſiorem generantibus, unde aromata condimentis convenient. In agitatione corporis quoque multum eſt ſitum, ut pituita attenuata per ſudorem imminuatur: præprimis multum commodi ab agitatione, quæ aëre ſereno & ſicciori, minimè humido, peragitur. Somnus quoque tali in loco congruit, ubi frigus nocturnum neque copiam neque craſſitiem pituitæ augere poteſt. Abſint curæ, quæ ſangvinem ſuo calore ſpoliant, aut ad cerebrum juſto citius aut copioſius rapiunt, cum frigus ſangvinis commeatu cerebri incrementum capiat. Atque ne aliis excrementis augeatur pipituita operam dandam eſſe liquet.

XX. Aliàs venæ ſectio non eſt commoda, niſi ubi ſuſpicio portionem pituitæ minorem ſangvini ineſſe, eamque pulmonibus defixam

hærere,

hærere, cum corpus cœtera sit vegetum, & calore generoso satis pollens, cum neque ætas dissvadeat. Purgantia quidem admittenda, sed quæ viribus respondeant, quomodo & vomitoria invenient locum. Sæpius autem clysteres adhibendi, ne, cum concoctio in his subjectis ob debilitatem caloris deficiat, vasa lactea prorsus obstruantur, muco superiorum intestinorum non facilem habente descensum. Ante omnia incidentibus & sudorificis decoctis pituitæ cum sangvine vinculum separandum, ut expeditius per sua excretoria ejici queat. Idque adeo glandulæ capitis per gargarismata, apophlegmatizantia, errhina, solicitandæ, ut promte elaboratam pituitam suscipere atque emittere possint. Cœtera quæ pro calore capitis, ventriculi, & si quæ alia huc faciunt, plura discursui servanda constat.



Szczytnych nie b
Świadectwa Kond
rekomendacya Oz
przymiaucia — pr
słnego skutku pr
zakończę nayg

Pisany d. 23. Grudnia 840. r.